INO

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R. - c - 219

Motetti del Varotto à 8.
Torino 1581


Basso 1.° Coro.

lib. 8.

L. Spreafico

PRO ARBORE SERENISSIMORVM SABAVDIAE PRINCIPVM.

PHILIBERTI PINGONII
Sabaudi Cuſiacen. Baronis
reſponſio.



Auguſtæ Taurinorum, Apud hæredes Nicolai Beuilaquæ.

MDLXXXI.

L. Spreafico

ILLVSTRI ERVDITOQVE VIRO CLAVDIO POBELLO PETRAE BARONI.

Philib. Pingonius. S. D.

NVDIVS tertius tuæ mihi literæ redditę fuerunt Romuliaco, ad quartum Kalend. Octobris datæ: vnà liber Abbatis Altacombani in arborem Sabaudam noſtram recens æditus, quem Sereniſsimo noſtro Duci, obtulerat, Duxq; eum ad me mittendum iniunxerat, nequid (te conſulente) me inaudito diuulgaretur. Tanti Principis clementiam veneror, has tuas amicitiæ ęquiſſimas partes amplector: Sed non ſatis iſtud Abbatis factum mirari poſſum, à quo amari me, ut ab omnibus, omni induſtria & officio ſemper contendi. Meminiſſe potes (aderas, enim) me ſuperioribus menſibus, à Principe literas ad Abbatem impetrauiſſe honoris plenas, ut eius quod in tabulario Altacombano ſibi ad hiſtoriam conſcribendam magis idoneum videretur, copiam faceret, quemadmodum ab alijs ferè omnibus tum Cœnobiorum, tũ Municipiorum rectoribus alacriter pręſtitum eſt. At ille poſtmodũ non iuuare, non monere (vt ab Abbate, & amico: & ex ſacra iuſsione expectabam) ſed propalam mordere, & lacerare incepit, & quaſi ſatyram proferre, & ad ſatyram inuitum libello ſuo inuitare. Ego igitur qua ſoleo modeſtia, non quenquam lędendi, ſed mei tuẽdi gratia, paucis, vt res feret, reſpõdebo. Et niſi de Sabauda dignitate potius, quã de meo nomine ageretur, tacerem lubentius. Siquidem me mei aliquãdo hiſtoriæ libri, quos non temere aut ſponte, ſed ex Auguſtali reſcripto aggreſſus ſum, poſt cineres tuebuntur. Interea meum eſt, dũ hanc vitam traho, non uitæ, non labori parcere, ne quid de laude & fama

Sabaudorum principum detrahatur. Tu verò, cũ hanc cauſam ſemper ſuſtinueris, uelim Abbatem (quem mecum amaſti) horteris de cętero, in tanta re temperare uelit calamo, conferamus vnà dum viuimus, non manum conſeramus, ne in fabulam abeat hiſtoria, & veritatem ſuffocet opinio. Scripſerit ille feſtinantius, & ante tẽpus fętum emiſerit; Debuit profectò hæc ſaltem quæ obiter notauimus, et ab eruditis omnibus obſeruabuntur: prius animaduertere. Quæ ideo ad te mitto vt (meo etiam ſi vis nomine) amicè communices, atque tandem his rationibus, aut alijs quas adducere poteris, tuaque cum authoritate ab incepto deſiſtat, & vbi palinodiam cecinerit, ad harmoniam, concentumque (ſicuti decet) conueniamus.

Primùm in libri facie, non arridebit inſcriptio, quòd Principum Sabaudiæ, & Hugonis Capeti *origines miſceat, quę peculiarẽ librum ſingulæ merebãtur, & quas ſeparatũ ſtipitẽ habuiſſe vel ipſe ſcriptis tradidit. Adhęc indecora et iuſto demiſſior uidebitur dedicatio* Ad Illuſtrem &c. *cũ noſtro & antiquiſſimo ſeculo Principes Sabaudię, Sereniſſimi titulũ apud oẽs obtinuerint. Quod Florentinus natione, ignorare non potuit, quę natio titulorũ eſt artifex: nec iam ſuũ magnum Ducem hoc Sereniſsimi debito elogio defraudare auſus fuiſſet, & illuſtris titulos repetere, qui ẽt olim medijs magiſtratibus tribuebantur, quales erant Præfecti Vrbis, Iudices prouinciarum, Senatores, et id genus alij. Sed audio latine loquentẽ, perhorruiſſe hoc Sereniſſimi vocabulũ. At neq;* Abbatis, *quo opiparè vtitur fruitur, latinũ eſſe conſtat, nec bene ſecũ, ſi eo abſtinere cogeretur. At Cicero eloquentię parens, tranquillã & ſerenã frontẽ dixit, & ſpẽ ſerenare fronte dixit Vergilius, vitã ſerenare Lucretius. Iuppiter ſerenator veterũ epitheto legitur, vt Ariſtoteli* αἴθριος ζεύς, *ſic Boreas Serenator* αἰθρηγενὴς, & αἰθρηγενέτης *Homero, Cumq; Heroum, & Principũ ſit propria* γαλήνη, *ſiue ſerenitas, cur translatitio quaſi tropo, aut ſi mauis metaphora, Sereniſſimi aptiſsimos titulos, et ab omnib. oĩ ferè tẽpore obſeruatos refugiemus? Sereniſsimũ Auguſtũ Meſſala Coruinus orator diſertiſsimus in libello qui de Octauiani progenie*

nie

nie circunfertur. Iterum atq; iterũ nuncupauit, ſed is ſit incertus authorr. Cęſarũ ſunt leges innumerę, in Codicis, & Authenticorũ libris Quibus Honorius, Arcadius, Theodoſius, Valens, Anaſtaſius, Iuſtinianus & alij, Serenitatis ſibi titulos tribuerunt. Quemadmodum enim apud Vallam (ſi ad primordia redeundũ erit) clarus, et pręclarus figuratè, pro eo qui tanquam fulgore famæ & glorię reſplendet; ita Serenus & Sereniſsimus latinè formari poterunt. Cum maximè ſic Vſus inoleuit, & Celſo iureconſulto teſte, nõ ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi vſu nomina debeant exaudiri. Neque (vt Victorius ille noſtri ſeculi eruditiſsimus dixit,) omni ætate omnia vocabula idem valeant. Et Flaccus cecinit.

-uerborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu, florent modo nata, vigentq;.

Tum ſequitur.

Multa renaſcentur, quę iam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & ius & norma loquendi.

At ſi tam ſit diligens Grammatices obſeruator, viderit in ipſo limine quam latinè dixerit Simulque regum. *nam enclytica qué cum ſimul nunquam legetur.*

Sequitur Subalpinarum, *deficit, cui ſubſtet, gentium.*

Sed ad maiora, & ad ipſam primam libri paginã accedamus, qua Allobroges à Quinto Fabio Conſule *primũ memorat* Q. Opimio collega, anno ab vrbe condita 632. *Debuit ex faſtis conſularibus, & Sigonio doctiſſimo, quem allegat, annũ exactius notare 631. Poterat & Allobrogũ nomen altius & nobilius à Regibus ipſius gentis petere, à triũphantibus, nõ deuictis. Quod in libris noſtris antiquitatis Allobrogũ pręſtitimus, & in extremo arboris libello, ta bella indicat. Sed quot mẽdis ſcatet lectio, cũ ait,* tractũ à Geneua, *à contra regulas additum, &,* tractum extendens, *Legi debuit extendentem. Tum* In Xantonum fines populi Aquitaniæ Oceano finitimi commigrare. *Hæc ſtructura nullo modo latina eſt.*

Secunda

Secunda pagina, cum ad Burgundos Reges deuenit, & primùm Tibigam *adfert. Imò primùm Gundiocum fuiſſe conſtat, vt Vignerius diligens rerum Burgundarum obſeruator teſtatur.* Nec Gre*gorius Turonenſis, Aymonius aut cęteri quos citat, quicquam de Tibiga meminerunt. At vbi ait,* qui vt obtemperaret Hyrmin gardi, *abſoluat clauſulam quæ omnino imperfecta eſt.*

In tertia pagina, non temporum aut alio ordine Delphinatum Sabaudiæ pręponere debuit, cum Sabaudos populos iam ſub Honorio & Arcadio denominatos anno ſalutis 390. ſuo loco probauerimus, Delphinatum verò recens à Delphinea familia Viennenſi deductum, vix anno ducenteſimo poſt milleſimum. At dicet, hęc tota oratio fuit Stephani Forcatuli lib. de Imperio Galliæ tertio, ad Alpium vſque ramenta (impropria voce,) Sed non decuit Sabaudiæ incolam, in eo Gallum hominem, quem excuſatum velim, autore tacito, de verbo ad verbum ſequi; vel ſaltem debuit, quæ poſt de Sabaudo nomine honorificentius ſubnectit adiungere.

Iam videamus quàm apta ſequatur diuiſio, De principatu Comitum & Ducum Sabaudiæ, de Altacomba, de ſtirpe & ſerie principum Sabaudiæ *in quibus* conſilium ſibi eſſe ait (*deſumpta ex Cornelio Tacito integra clauſula*) ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul habet, pauca dicere. *fatebor vnum, ſine ſtudio, alterum res ipſa negabit: ſed potius Anaxilao & Theopompo comparabit. Iam ante partitionem hanc, de principatu & Allobrogibus dixit, nec poſtmodum quicquam de eo principatu loquitur, nec de Altacomba aliquid; quam ita miſcere, eſt paruis componere magna, vt paſtor vergilianus ſe ipſum ea de re incuſabat. Et quidem decuiſſet Abbatem de ea duntaxat loqui. Nam ex Auguſtalibus ſcrinijs, non ab vno Monaſterio, tanta ſtirps, tanta inclytorũ principum ſeries diſquirenda eſt.*

Quartam paginã reuoluimus, qua Beroldum Sabaudia authorẽ à Principibus Saxonię ex veteri Chronico prodijſſe fatetur. Sed Saxonum originem in dubio relinquit, cũ à Siqueardo cępiſſe dubitet, &

Siguear-

Sigueardum cum Bertoldo confundat, *quod nec nomina nec tẽpora patiuntur. Nam ſi à Bertoldo illo finem accepit genus ueterum Saxonum ſub Clotario, ex Crantij lectione lib.* 1*.cap.* 31*.quem allegat: & Nauclerus Gene.* 21*.poſt Bertoldi cladem: Diploma adferat Dagoberti filij Clotarij, anno* 623*.regni* 23 *ſequitur Clotarium patrem mortuum anno* 600*.ac proinde Bertoldum ante cecidiſſe. non verò* anno 630. aut 627. *vt variare ei lubet.* A*tque ita diſcernendus alius à Bertoldo Sigueardus, qui anno* 636. *rex Saxonum in Dagobertum electus eſt, vt conuenit inter Laſium eo libro nono, quem allegat, & Georg. Agricolam in proemio libri de menſuris ad Duces Saxoniæ: Muſterus tetigit lib.* 3. *& Paulus Aemilius lib.* 1*.qui idem bellum refert, etſi nomen præterit: neque de ea re Aymonius quem citat lib.*4*. cap.* 15*.quicquam ſcripſit, & ſolum cap.* 18*.de Bertoldo meminit ſub Clotario, de Sigueardo quidem nihil, qui nondum extabat. Porro Sigueardum, filium habuiſſe Theodoricum, cum ij dem teſtentur Laſius, & Agricola, ueterum Germaniȩ & Saxoniȩ Annalium ſcrutatores, noſtrũ nõ ita ſit facile inficiari. Verùm ſecuri plumbea fatalem arborem à radice, truncare ſe poſſe confidit, cum* Theodoricum arguit victum fuiſſe à Carolomanno Martelli filio anno 745. & mortuum Sigueardum anno 730. vel 27. *(voluit hic, anno ſexcenteſimo dicere) ac proinde infert,* Theodoricum anno ſuæ ætatis centeſimo decimo octauo tanquam Homericum Neſtora bellum geſsiſſe, quod in hiſtoria non facile admittitur *Neque ego admiſerim, atque ſuo loco, idem argumentum retorquebitur. Nunc autem minus concedam Sigueardum obijſſe anno* 630*.vel* 27*.nam cœpit regnare (ut diximus) anno* 636*.quo uigeſimum quintum attingere poterat, vixitq; ad annũ uſque* 690*. vt in hiſtoria indicauimus. Quidni igitur Theodoricus ab eo naſci potuit, & ad ſeptingenteſimum quadrageſimum quartum, ſeu quintum annum peruenire, viridiq; adhuc ætate quinquaginta ſeptem annorum, plus minus (quos ego ſoſpes ago) ad bellum in Carolomannum proficiſci (viderit quis hic Neſtor,*

& cur

& cur potius antea Clotario in decrepita ad bellũ profecto, nõ iſtud exempli gratia accommodauerit. Præterea animaduertat qualem ſe Saxonum laudatorem faciat his verbis, Saxones violatę fidei ſtrage ſua pęnas luiſſe. Adde quod Aymonius eo lib. 4. cap. 52. quē profert, & cæteri, nihil de hoc Theodorico Saxone loquũtur. Ita fit vt in tota diſpoſitione non deſit inuentio, & cum iudicio deſideretur eloquutio. Quemadmodũ pagina quinta vix latinã loquutionē agnoueris, vndis ſacris ſuſceptus eſt. armorum inſignia quæ militaribus ſignis, vt fit, præferebat pullum equinum atrũ, quid ſibi vult? tum & cum prępoſtero ordine. Atque illud Gentilium cur non eſt veritus? inter plurimos Capeti fratres, cur nõ maximum natu pro maior natu dixit. Pudet toties in phraſes corruptiſſimas incidere, hæc verborum colluuies digna planè ludimagiſtrorum ferulis. Quibus poſthac pretermiſſis ſola virorum arma capiemus. Ac videamus quid homo iudicioſus ſentiat: Melius eſt, inquit authorem ſtirpis facere Vernechinum ducem Angriuariorum. &c. O ſanum hominis iudicium, qui arbori ab ipſa certa antiquitate, centum & amplius annos detruncarit, duos Reges inuictiſſimos abſciderit, velitq; tanquam hiſtoriæ parens, & veritatis antiquiſſimæ nouus arbiter, à Duce Vernechino, à ſemel, bis, atque iterum rebelli, à deuicto, à tributario, tantæ gentis origines repetere, & ait, hoc melius? Imò indignius, abſurdius, & omnino tacendũ, aut ſaltem probandum fuerat, quod nullo modò facit, licet margines ad ſui oſtentationem, & aliorum terriculum, authoritatum μηνίσκοις tegere conetur, non ſecus, ac ficulneæ ſtatuæ.

-uolucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatq; uouis conſidere in hortis.

Quid ad hoc Aymonium toties repetit, maximè lib. 4. cap. 64. cum nihil de Vernechino expreſſerit, nec cumulati cæteri ad rem faciant? Sed cuius filius hic Vernechinus, niſi Theodirici? & ipſo Laſio, & Agricola teſtibus. Poſtmodum cur eoſdem authores, & alios hic adfert, nec in anterioribus eoſdem ſequutus eſt, niſi quòd ex profeſſo

hanc

hanc originem decurtare, & deprimere radicitus tentet? At ecce quã in filijs Brunonis fratris Vithicindi primi hallucinetur, potiſsimum in Lutolpho, quem patrem Othonis magni, patris Henrici aucupis, *aſſerit. Siquidem Otho hic filius fuit alterius Lutolphi filij Vigberti, quod Laſius, Vithicindus monachus, ſimul etiã Nauclerus teſtantur, qui aiunt Lutolphum ſecundũ patrem fuiſſe Brunonis & Othonis. Atque ita extricandus erat Crantius, quo nititur, ex hoc labyrintho, cum alijs vetuſtioribus pleriſque, ſicuti nos etiam tempora quaſi filo ducunt, imò nolentes trahunt.*

Sextam paginam non diſquiram. ea ſit Francorum cura, & Florentini Dantis petulantiam cohibere, qui Hugonem Capetum à Lanio prodijſſe commentus eſt. Quod nec Volterranus, nec eius claſsis authores cenſuerunt. Non tamen à Saxonibus fluxiſſe probari certò poterit. Huic rei maiores tenebras offundit iſte, cum ait Vithicindum iuniorem filios duos habuiſſe, Vithicindum, & Dridremum: nam Laſius, quem allegat, necnon Agricola, filios Vithicindi iunioris docent Fridericum, & Tritaymonem, nihilq́; de Vithicindo hoc tertio, nec minus de Roberto eius filio, ex quo Capetus. Nec eius Vithicindi meminit Aymonius lib. 5. quem teſtem facit, licet Robertum virum Saxonici generis duntaxat dixerit. Anglum etiam fuiſſe annuere potuit, qui Angli ex veteribus Saxonibus oriundi, vt ait Crantius & cęteri. Onuphrius quidẽ Panuinus, quem tacet, Vithicindum quendam extorrem domo ſua, patrem Roberti, adfert; ſubtiliores alij, Valberthum filium Vithicindi ſecundi, in Rubertum ſiue Robertum transformant: Proteos dixeris, aut Vertumnos. Sed nulli alij authores de hac Saxoniæ propagine meminerunt. Sublato igitur fundamento eius Vithicindi tertij, cætera corruent. Probabilius quidem à gente Valeria Romanorum, Valeſios reges deriuauit Fortaculus, in recenti libello ad Henricum tertium. Nec Saxones Gallus tacuiſſet, ſiquid vel coniectura aſſequi potuiſſet. Cæterùm nihil hæc ad Sabaudos, quos tantùm profiteor: nec in priſcam legem Licinij & Cæſaris Cenſorum incurrere volo: qua edixerant, ne

quis vnguenta exotica adferret. Optimum ſi ſuæ quiſque patrię incumberet.

Ad ſeptimam paginam flectamus oculos. cũ Digremum, quẽ alij Titaymonem vocant, Otho magnus pepulit Saxonia, *inquit, ſiue à Saxonia, & ad Vigbertum Vithicindi iunioris fratrẽ redit, qui* ex Valberto filio nepotes habuit quatuor fratres, Regebertum, Ditericum, Videchindum, & Immodũ, quem alij Amedeum vocant. *Hic toto cœlo errat. neque hoc ſui authores dicunt. nam Vithicindus tertius, Immotus, Regebertus aſſeruntur filij Theodorici, qui Dietmari filius fuerat, vt arbor noſtra certius indicat, ex Crantio libro 3. cap. 11. ex Vithicindo monacho lib. 1. & Germanis alijs authoribus. Cæteri quidem variant, a quibus tanquam ſcopulis, declinandum eſt. Porrò quòd Immodus idem qui Amedeus fuerit, & de alijs huiuſmodi perfricta fronte aſſeueratis, dixero cum Iuuenale,*

-Heus, vnde

Hęc emis? haud pudeat dominum monſtrare tabernæ.

Proſequitur Videchindus filius Almarus. *Neſcio ſi Vidicindi filium facere ſuopte voluerit ingenio Almarum, ſiue notiore vocabulo Aledramum. Nam hunc filium fuiſſe Vuillielmi, nepotem Vindonis, pronepotem Lutolphi, qui frater erat Valberti, me docuerunt manuſcripti annales Montisferrati, Salutiarum, aliaq; vetera monimenta, quę ex archiuis Principalibus in hiſtoria attuli, & ſi poſtulaſſet, oſtendiſſem, perq; meos certos indices à via non deflexiſſet. Vt vndoquaque, hic titubat vel in oratione, cum de Aledramo ait,* Vtroque parente religionis ergo profectus, in Galleciam, & laboribus itineris extinctis, infans educatus eſt in Italia. *Quid queſo hæc ſignificant? Sed piaculum quod ſubnectit:* potitus eſt Ducatu Taurinatium, & Eporegiæ, Primus ſe marchionem Montisferrati nominauit, conſenſu Othonis primi, cuius filiam Adelaim rapuerat, &c. *An decuit ſcriptorem Sabaudium, alumnum ſacræ domus, Conſiliarium nuper effectum,*

ita

ita Sabaudis iuribus aduerſari, patrocinium cauſæ Montisferrati, quæ ſub iudice adhuc pendet, aſſumere, Taurinum & Eporediam opulentiſsimas, antiquiſſimasq; ciuitates, aduerſario tacenti tribuere. Sed qui ab initio operis, titulos Principi noſtro debitos detraxit, haud mirum, ſi in progreſſu ciuitates integras detrahere moliatur. Videant patrimonij Cenſores an mihi tanta in cauſa, tam grauiter delinquenti parcerent. Receptum eſt enim Aledramum vxorem ſecundam habuiſſe Adelaſiam filiam Othonis ſecundi, nō verò primi, cuius primi Adeleſia filia nupta eſt Hugoni filio Roberti Pariſienſis, ut diſertè Cuſpinianus tradidit in Othonibus, Sangeorgius in hiſtoria Montisferrati, Philip, Bergomas libro 12. & cæteri: licet Aemilius libro tertio variet, & ſororem Othonis primi, non tamen filiam faciat. Certiſſimum autem eſt Aledramum ipſum ab Othone primo donatum Marchionatu Montisferrati, reſcripto ipſius Othonis primi dato Rauennę, anno 967. regni trigeſimoprimo, 10. Kalen. Aprilis, quo quidem plurima oppida denominantur à Tanaro fluuio, ad vſq; maritima littora, nihil penitus de Taurino, aut Eporedia. Et iam Conradi Cęſaris temporibus, Vullielmus Aledrami pater, auxiliaribus Saxonum copijs olim traductis, pedem in Italia fixerat, & ampliſsimum agrum ad flumen Tanarum poſsidebat. ditionis caput erat Villa focuaria. oppidi veſtigia nunc extant. Id certius teſtatur contractus donationis Eccleſiæ Sancti Victoris Grazani anno Conradi primo. Poſt Vullielmum Aledramus filius: adhuc adoleſcens, ab Hugone, & Lothario regibus forum Aquenſe obtinuit, reſcripto dato Papiæ, anno 938. 8. Idus Februar. Poſtmodum Berengarij filiam Gilbergam duxerat, vt ex fundatione abbatiæ Templi Grazani conſtat, anno regni Berengarij & Adelberti vndecimo, menſe Auguſti. Secunda vt diximus Adelaſia, ſeni & emerito collocata eſt. Nihil ex his de Taurino translato, aut Eporedia colligi poteſt. Neque Laſius, qui libro duodecimo plurima de Ducibus Taurinatium & Eporediæ commemorat, (quemq; eo in loco hic noſter tacet) quicquam Aledramo tribuit, præter quod ſe primum Montisferrati

rati Marchionem ſcripſerit. Quid alia huiuſmodi repetam in hiſtoriæ fuſius comprobata, quibus & hic raptus filiæ Othonis quem adfert, & alia quędam ab alijs tradita, in aniles fabulas euaneſcunt? Quis autem Taurinorum, aut Eporediæ tunc foret ſtatus, peculiaribus libris certiſsima tabularum fide demonſtrauimus, nec eſt quod in ijs ciuitatibus, quidquam ſibi Monteferratenſes vendicare poſsint. Ad rem ipſam, extra rem ſuo more, feſtinat cum ait. Quartus Immodus vel Amedeus ſuſcepit Botonem & Bertoldum, ſiue Geraldum, qui eſt pater ſtirpis Ducum Sabaudiæ. *De Botone ne verbum quidem Laſius quem citat: Qui quidem in Sabaudis rebus (vt exteri ferè ſuos extra fines ſolent) aliquantùm iudicio aberrauit, in eis maximè, quæ libro 12. commentatus eſt, nulla omnino habita temporum, aut perſonarum ratione. Non tamen immodum Amedeum vocat. Neque is, ſi filius fuiſſet Valberti, eſſe potuiſſet, niſi anno 860. nec pater potuiſſet eſſe Beroldi noſtri, quem videbimus fuiſſe anno 1018. & inferius. Ipſe etiam Laſius Beroldum hunc ſub Othone tertio reponit, qui ſub extremo noningenteſimo regnauit. Viderit igitur, & exactius ſupputet, quàm ſibi conſtet,* firmaq; ſit hæc ſua genealogia, quam maiori ex parte decerpſiſſe aſſerat à pluribus authoribus, *quos octaua pagina enumerat, qui nihil tale affirmant. Neque verò aliquorum æmulanda fuit negligentia, vt inde noſtra obſcura carperetur diligentia, donec tabulis, & rationibus apertior redderetur.* Longè ſibi alia mensi, *inquit*, quàm Beroldum filium fuiſſe Hugonis, quem diximus fratrem Othonis tertij. verba mea referre *vult, &* ad amuſsim, *vt ait*, perpendere. *Immò verò perfunctoriè, non viſa typi circa numeros emendatione in extremo libro inſerta. Et hæc noſtra breuiſſima fuit arboris explicatio, quę refertur ad librum hiſtorię tertium, in quo hæc fuſius tractantur; Hugonem, inquam, ex primo thoro natum anno 961. vixiſſe annos 22. mortem oppetiſſe in conflictu aduerſus Saracenos, anno 982. uno ante patrem anno. cumq; Hugone ceciderunt Landulphus, Antenulphus, Otho Dux*

Augu-

Auguſtanus, Henricus Epiſcopus & alij, de quibus Vincentius libro 24. cap. 91. Siguebertus, Hugo Mutius, Archiepiſcopus Cuſentinus. Annales Germaniæ lingua Theutonica, & alij plurimi. Porrò Hugonem filium fuiſſe Othonis ſecundi, quis ignoret, luſtratis vetuſtiſſimis Annalibus Sabaudiæ, , & ex ipſo Cuſpiniano Germano hiſtorico & philoſopho, Iac. Strata Mantuano, Petro Cara, Raphaele Volaterrano, Nicolao Vignerio, Chriſtophoro Milgo, Guillielmo Fichetto, Muſtero, Onuphrio, Franciſco Roſiero, & alijs quos ſe non uidiße indicat, cum negare ſit auſus? At ex aduerſo potentius in me iaculum torquet: Adelis, *inquit*, uidua Lotharij matrimonio iuncta fuit Othoni primo, anno 952. decimo ſexto Imperij anno. *Tum pagina nona ſequitur*, Otho 2. non potuit naſci ante annum 955. At conſtat obijſſe anno 983. Vix igitur vigeſimum nonum attigit. *Et ſic ad abſurdum, quod abſtruſiore lingua* ἀδύνατον *vocat, me adduxiſſe ſibi perſuadet generaße Othonem in infantia. hic ſpatiari iuuat extra metam, & phyſicum agere. A me verò abſit tantus error, quem facile eludam, paulò penitius indagata rerum Longobardorum veritate, quæ non niſi diplomatum robore ſuſtinebitur. Extant tabulæ Agiani cœnobij Benedictinorum Aſteſium, quas palpauimus his notis conceptæ. Anno 952. Regni verò Berengarij & Adelberti ſexto, indictione 11. quinto Id. Septemb. vt in hiſtoriꝫ libro ſecundo produximus. Obijt ergo Lotharius anteceſſor anno 946. Tunc Otho primus ſex annis poſt primæ vxoris Matildꝫ obitum, primo in Italiam aduentu Adelaidam Burgundam Lotharij viduam vinculis quibus à Berengario miſerè detinebatur ſtatim liberauit, & vxorem duxit, idq; ſub Agapeto Pontif. Max. Iſtud Platina, Gaſpar Bugatius poſt Vithicindum monachum Othonem Fringingenſem & alios teſtantur. Cur ergo naſci non potuit Otho ſecundus, anno 947. Ac proinde ab eo ſecundo Othone anno 961. iam pubere facto, produci noſter Hugo? Nec obſtant, quæ de Henrico & Brunone primùm ex Adelaida natis dixit Vithicindus author. id enim non vero eſt ſimile. Namque hi ſi primùm nati fuiſſent,*

ſent,

ſent: eorum prima in imperio habita ſoret ratio, neque ita facile prælatus fuiſſet Otho frater. Sed ignoſci fas eſt illi Vithicindo diuinis potius quàm humanis rebus dedito, prout etiam impegit euidentiſſimũ in ſcopulum, cùm primi ſui libri in calce dixerit Othonis primi nuptias cum Matilde filia Aethmondi regis Angliæ celebratus anno 930. hanc vixiſſe in eo coniugio annis decẽ aſſerat extremo libro ſecundo. Obijt ergo anno 941. nec potuit relinquere Lintolphum filiũ ſuum ætatis ſedecim annorum, vt initio libri tertij affirmat. Iam confodior acriori telo, quòd ex lectione ſuorum authorum deprehendatur, Othonem ſecundum vnicam tantùm habuiſſe vxorẽ Theophaniam nomine, Nicephori Imperatoris Orientalis filiam vel ſororem. An filia vel ſoror, cur in dubio delinquit, cum Zonaras tomo tertio, Platina, Onuphrius, & alij filiam demonſtrarint? Deniq; legiſſe debuerat Cuſpinianum, qui Othoni ſecundo duas vxores tribuit, videlicet Auſtriacam alteram præter Grecam. Cõueniunt Onuphrius, Strata, & nouiſſimè Franciſcus Roſierus vir abſolutiſſimus tomo quarto ſtemmatum Lotharingiæ. Quid cæteros? Sat igitur ſit nobis de duabus vxoribus conſtare. ſi quid ſcrupuli reſtet, quoad fieri poteſt is euellendus eſt, & omnia concilianda: quæ, inquam, prima vxor fuerit. Iam verò Grecam marito ſuperuixiſſe tradunt ſcriptores, & hic nouem annis fatetur. Prima igitur Auſtriaca neceſſariò fuit. hęc nec niſi filia Lupoldi primi Marchionis Auſtrię, qui tunc temporis rerum potiebatur. Annam ſtemmata vetuſtiſſima, quę vidi denominant. Hanc itaque ducere potuit anno 960. cum natale tempus oſtenderimus anno 947. Ex eo matrimonio, pubere parente, vt diximus, natus Hugo, vt puta anno 961. Hac verò prima vxore defuncta cum annum ageret Otho vigeſimum ſeptimum, (non decimum ſeptimum ſicuti ſupputat) duxit ſecundam Theophaniam Grecam anno 972. ſub Ioanne 4. Pont. Max. ex Platina, quem tertium hic facit, ex qua Greca natus Otho tertius. Atque ita fiet authorum conciliatio, quos animo contradicendi noſter Abbas confundit.

Ipſa etiam ex viſceribus terræ ſuſcitat Cęſaris commentaria pagina decima, vt mores Germanos primæui ſeculi in agnoſcendis tardè fęminis exhibeat, quo ſeculo pellibus, aut paruis rhenonum tegumentis vtebantur, magna corporis parte nuda, quo ſeculo longęuior ętas erat hominum, & illud ſeculum cum noſtro confert. priuatas quoque perſonas, rudes, & agreſtes, quæ non niſi lacte & caſeo veſcebantur (vt verba ſunt Cæſaris) cum ſummis principibus, & melioris ſeculi, quorum cura maior fuit ſobolis quanto citius habendæ, æquiparat. Quocirca infert Hugonem non extitiſſe, hac etiam ratione quod Crantius non inter Othonis ſecundi filios Hugonem adnumeret. Quaſi verò Crantius omnia dixerit, nihil præterierit, vt non omnia poſſumus omnes. Alij quos iam memorauimus non inferioris notæ, Hugonem non prætermiſerunt. Laborat item plurimùm quòd Hùgo hic patri non ſucceſſit, nec animaduertit, quòd in ipſa arboris enucleatione indicauerim, obijſſe viuente patre: in quo per temporum curricula ſugillare me nititur. Mortis verò genus pulcherrimum, inter arma, declarauimus. ac proinde ad cauſas inquirendas vana tota ſua de ſucceſsione Imperij diſputatio. Hiſtorici partes ſaltem ab Othone Fringingenſi illo Cęſarum patruo, diſcere debuerat, res geſtas ſcribere, nō geſtarum rerum rationem reddere.

Quæſtionem aliam inducit pagina 11. *de Beroldo.* Cur ſi ducis Saxoniæ filius, portiuncula ſaltem Ducatus potitus nō eſſet? qua iuſta cauſa priuatus? Atque ea tempeſtate maiorem Saxoniæ partem, Bennon & Luderus fratres, filij Hermani, Ducis titulo tenuere. Alteram Bruno Henrici Imperatoris frater Marchionis titulo. *Hęc ille, aduerſandi potius quàm inquirendi ſtudio. Nam legiſſe potuit ſuum Crantium libro 4. cap. 8. quem ſubticet, inferiorem Saxoniam duntaxat ad Albin, Othonem primum commendaſſe Hermano cuidam, non autem ſuperiorem. id circiter annum 937. Ex eodem Crantio cap. 28. quo vtitur, non dixero Bennonem & Luderum Duces Hermani filios, fuiſſe temporibus Othonis tertij, nec niſi circa annum 973. eſſe poterant.*

terant. His fratribus ſucceſſerat Bernardus anno 978. Huic Bernardo Ordolphus anno 988. pater Magni, eius generis vltimi, & quæ per Crantium fuſius: qui potius fuerunt ſub eo Othone tertio, ac proinde Beroldo noſtro æquales hi nouiſſimi eſſe poterant. Superiorem verò Saxoniam retinuerant Cæſares, aut Cæſarum filij, qualis hic Hugo pater Friderici, Vlderici, & Beroldi. Quorum primorum fratrum meminit idem Cuſpinianus, à quibus (inquit) deſcenderunt principes Sabaudiæ. optimam etiam partem poſſidebant Dedus, Burgrauius Miſniæ, Dithberici filius aut Thietmo, Dedi filius, primus Marchio, à quibus inclytus Auguſtus, qui Saxonico præeſt Imperio, longo ſtemmate deducitur. Beroldum Germanus hic author Cuſpinianus non agnouerat, quòd Germaniam reliquiſſet Beroldus. Cauſam migrationis diximus, nō inſimulati cuiuſpiam criminis metum, ſed gloriæ parandę cupiditatem, quam gloriam perpetuam ſibi ſuęq; genti peperit. Sabaudos populos conquiſiuit, Rodulphi regis Burgundię beneficio, confirmante Othone tertio, vt diplomatis exemplar vetuſtiſſimum vidi datum Aquis quinto Id. Maij, Indictione tertia, anno milleſimo, regni 17. Imperij quinto. Quod fuſè libro quarto hiſtoriæ oſtendimus, & quam impenſam de patria ſucceſſione, & ingenti ęre allato in augendis vectigalibus, in extruendis arcibus, hac in noua & ampliſſima parta prouincia fecerit. Et prius de Hugonis nuptijs cum Hynna à Scherin Bauara, de natis liberis, & potiſſimum Beroldo anno 980. cum Hugo pater decimum nonum attingeret: De nuptijs Beroldi cum Catharina Scirenſi anno 997. ſuę ętatis ferè decimo octauo: De Hūberto Beroldi filio nato anno 998. De expeditione in Allobroges eo anno ſequuta, & quę benenato, vel etiam curioſo cuiq; ingenio ſatisfacere ſupra quàm valeant. Age verò, ſuum tandem profert ſymbolum, cum ait, Credo magis hunc Immodum vel Amedeum fuiſſe patrem Beroldi, quem Hugonem vt iſti volunt, *& quæ ſequuntur. Quid iſte ſibi velit diſquiramus,* Imodum ſub Henrico aucupe militaſſe in bellis Danicis, Beroldum filium ex

vetuſto

uetuſto quodam ſuo Altacombano Chronico officialem fuiſſe Regum Boſonis,& Radulphi. *Quo autem tempore hi duo reges fuerint, tribus ſequentibus paginis, ad decimam quintam per Burgundiæ ſaltus iterum, vt initio libri, peregrinatur, & canis Aeſopici more, nihil aſſequitur.* Hos enim reges fuiſſe comperit anno 923. obijſſe vnum anno 934. alterũ 937. *Tum inter Syllam, & Caribdim conſtitutus, ait,* nec certo ſcio quo tempore. *Deinde ſubnectit,* ſuſpicandum eſt &c. Rodolphos & Boſones aliquot adfert, nec alios quàm quos nominauit Boſones ſe reperire, Boſonem aliquem, ſub Othone tertio in controuerſia eſſe. *Nunc rem æquo animo cognoſcamus. Esto fuerit Immodus Beroldi pater ſub Henrico Aucupe, qui fuit ante annum 936. quo mortem obijt, teſte Onuphrio & cæteris, fuerint illi reges Burgũdi anno 923. aut 34 Quorũ Beroldus* officialis erat *(vt bene latino Epitheto vocat,) is non niſi matura ętate viginti ſaltem annorum eſſe poterat, ergo filius coęuus patri. Tum ſubiungit arbitror veniſſe ad iſtas Allobrogum partes tempore Othonis primi, non tertij. Otho primus cœpit eo anno 936. à morte patris, vt dictũ eſt: ſi iam Beroldus magiſtratum exercebat ſub regibus illis Burgundis Boſone & Rodolpho, quomodo mitti potuit ab Othone primo, ad iſtas Allobrogum partes, in quibus iam verſabatur, & vt loquitur,* officialis erat? *nec certè ad illos primos reges, qui ante Othonẽ erant, ab Othone miſſus eſt, nec ab Henrico Othonis patre, ſub quo Immodum Beroldi patrem reponit. Denique poſt aliquorum ſententias & meam in Auguſta Taurinorum, concludit.* Ego verò arbitror conſtitutum fuiſſe comitem palatij, vel regiæ præfectum, regis Burgundiæ, vt clauſtra Italiæ teneret, & vt Burgundis & Germanis liber eſſet aditus. *En comitem palatij, en præfectum, en ſaltuarium, ex clauſtris, in clauſtra, & officialem redditum paruo momento Beroldum: Idq; ait anno 945. ſub quo rege?* ſub Boſone, *inquit*, fratre Conradi qui Arelatenſem Epiſco-

ſcopum graui iniuria affecerat. *At hanc iniuriam illatã temporibus Othonis tertij memorat Robertus Cœnalis & cæteri. Non meminit ſe paulò ante dixiſſe Boſonem & Rodolphum regem fuiſſe anno 923. aut 34. obijſſe 34. aut 37. Cur ergo nunc transfert eos reges ad annum 45? An verò alij fuerunt eo anno? Quid hoc? in tota ſua narratione Boſones duos ad ſummum enumerare videtur, nec alios reperiri affirmat. Vignerius tamen in hiſtoria Burgundiæ plures adfert: vnum anno* 860. *alium anno* 889. *alium* 924. 938 *Nouiſſimi verò Boſonis, meminit idem Cœnalis, Muſterus quoque, & Roſierus Lotharingius, pręter veteres annales Sabaudiæ. Quodq; expugnari aut couinci nullo modo poteſt, extant tabulæ, quas vidi, in Agaunenſi Veragrorum monaſterio, & quarum vetus exemplar in archiuo Sabaudo repoſitum eſt, Conradi regis anno* 982. *regni* 46. *octauo* Kalen. *Octobris, quibus filios disertis verbis hos exprimit, Rodolphum, Boſonem, & Bucardũ Abbatem Agaunenſem Archiepiſcopum Lugdonenſem, Bertam & Gislam fœminas. Anterioribus contractibus, Conradum fuiſſe Conradi regis primogenitum patet, cui Rodolphus frater ſucceſſit, vt poſtmodũ quoq; Boſoni, & huiuſmodi alia, tabularum fide à me meis libris comprobata. Demum extant eo in cœnobio diplomata Rodolphi regis anno* 1014. *Indictione prima regni* 22. 16. Kalen. *Martij. Dat. Agauni. Aliud eiuſdem regis datum Pinpeningis, die Dominico anno* 1016. *regni* 17. *quib. chartulis noſter hic Beroldus, ſiue in hec verba* Bertoldus comes, *inſeritur. Et in Beroldi gratiam extat reſcriptum ipſius Othonis tertij quod produximus. Si ergo cœpit initio anni noningenteſimi, ſub illis primis regibus, aut ſub Othone primo, vt huic perſpicaci Abbati placuit, ſibi ſit etiã Beroldus, alter Neſtor Homericus, quod prius in me de Theodorico Saxone torquebat. neque id facile nunc feram, Beroldum plus quàm centenarium fuiſſe. Quid Beroldi monetas iterum proferam? quas in Auguſtæ Taurinorum libro expreſsimus, illam maximè argenteam, quam habeo, hac inſcriptio-*

ptione vna ex parte. BER. PRIN. MARCHIO IN SAXONIA. *alia ex parte* LEGATVS OTHONIS IMPERAT. *Quid probatiſſimos authores, quos innumeros adduximus, hic reſumam? qui vno calculo aſſerunt Beroldum hunc ab Othonibus Cæſaribus prodijſſe, nec non Forcatulus lib.3.de Gallorum Imperio nuper edito affirmat. Hic autem nouiſſimus author, non à Cæſaribus, ſed ab Immodo quodam, aut ſi mauis Amadeo, natum audet affirmare, & auditur, & commendatur, & honoribus afficitur. video, nec inuideo. Hac autem potiſſimum adducitur coniectura, pro ratione; quòd nomen Amedei poſtea frequens fuerit in familia: quaſi verò Amedeis viris Illuſtribus non antea Allobroges aut Burgundi claruerint. Inter cæteros Vignerius Amedeum comitem apponit ſub Imperatore Ludouico anno 827. ex Chartophilacio Cœnobij Sancti Benigni Diuionenſis. De Immodo autem aliquo, qui per Henrici tempora fuerit, nihil niſi indignum & inſolens legas. Hic apud Vithicindum monachũ lib.2. vir aſtutiſſimus, proditor, & ſceleratus deſcribitur. Si mauult Amedeum vocari, fuit eo ſeculo ſub Berengario rege, Amedeus quidam, ex Luitprando lib.5.cap.8. & ſequentibus,* apprimè nobilis *(inquit,)* ſed calliditate, ac temeritate non Vlyſſe inferior, *quem perſonatũ & exploratorem depingit. Hinc pernoſcamus ſi pro Cęſaribus, improbiſſimos parentes Beroldo tribuat, quid ſpei ſit reliquum in cõmendanda hac familia, niſi quòd calumnijs viam aperiat, & inducat maleuolos vti prouerbio, mali corui, malum ouum. Quod tantum abeſt, vt obijci poſſit, vt nihil minus, cum tota poſteritas pietate, & clementia refulſerit. Eius rei, & eorum temporum, teſtis ſit ipſe Hũbertus Beroldi filius cuius diplomata non pauca extant. Illud imprimis vir Illuſtriſſimus, & vndequaq; doctiſſimus Ludouicus Millietus Fabricarum Baro, Sabaudiæ magnus Cancellarius (qui mihi author hiſtoriæ fuit, & ſemper eſt candidus arbiter) exhibuit ſua manu exſcriptum, inde prototypum ad me miſit fundationis prioratus Burgeti Maltacenę, ad*

ripam lacus non procul Altacomba, quam fundationem miror hunc uigilantiſſimum abbatem latuiſſe. Eius initium eſt, Author humani generis, *&c. tũ ſequitur.* Ego Hũbertus Comes & filij mei Amedeus, Aymo, Oddo, donamus omnipotenti Deo ex rebus ab ipſo nobis conceſsis, & Apoſtolis eius Petro & Paulo &c. aliquid de noſtra hæreditate, videlicet Eccleſiam Sancti Germani, quæ ſita eſt ſupra montem Mommi, cum decimis, oblationibus & omnibus ad eam Eccleſiam pertinentibus, & deſertum à latere ſitum, quod appellatur Comba Dominici. Item in pago Bellicenſi duos manſos, & alia quædam. *Mox Amedeus Hũberti filius confirmat tabulis anno* 1030. 11. *Kal. Nouemb. Luna uigeſima feria quinta, hac addita clauſula,* nobis reſeruando illud ius quod vocatur patronatus, atq; ius præſentandi nobis & natis noſtris & eorũ ſucceſſoribus. *Sequitur igitur Beroldo paucis ante annis Hũbertum filium ſucceſſiſſe, ex his potiſsimum Huberti verbis, Aliquid de hęreditate noſtra, quę hęreditas ad Sabaudiam, & Belligium ſiue Beugeſium, non modo ad Maurianam ſolam (vt quidam circunſcribũt) diffundebatur. Imò etiam ad Salaſsos, Veragros, & Sedũnos, vt pluribus argumentis libro quinto hiſtoriæ diſcuſſimus, ex Lemenci, Secuſiæ, Agauni, Auguſtę prętorie, & alijs publicis tablinis. Beroldi tumulus extat Arelate in ciuitate, vt retulimus, exq́; notis vetuſtiſſimus conſtat obijſſe mortem menſe Aprili anno* 1024. *Hũberti uerò filij, obitus notatus eſt in tabulario ædis cathedralis Diui Ioannis Maurianæ anno* 1047. *vbi eius extat monumentum. Aliorum quoque Principum Sabaudorum natales ſummiq́; dies fideliter in veteri codice expreſsi, cuius copiam fecit Reuerendiſſimus Petrus à Lambert antiſtes nulli mortalium pietate, liberalitate, uel etiam doctrina ſecundus. Iam ſpeculetur, & quibus velit numeris calculum ponat bonus Abbas, nullo ratiocinio, Humbertum qui anno* 1047. *è vita exceſsit, genitum fuiſſe à Beroldo illo centenario quẽ*

volu:t

voluit iam anno 923. officialem fuiſſe regum Burgundiæ. Diſcat igitur audire prius, & legere, quàm loqui, aut ſcribere. Cętera reliquarum paginarum, tam abs re declinant, tam diſſuta ſunt, emendicata, inconcinna, ut cum Flacco cogar dicere,

Humano capiti, & quod ſequitur.

Spectatum admiſsi riſum teneatis amici?

Viros doctos in mediũ profert, quos ueneror, ſed uereor ne ſe in has ambages pluſquàm Dedaleas introductos cõquerantur. Quid quæſo certi cõcludit, Pyrrhonios ſiue Scepticos ſophiſtas nimiũ æmulatus? quid quaſi Nili fluminis caput perquirens aperti oſtendit? quid in dubio non relinquit? ſibi profecto, & ſuis authoribus iniuriam facit: aliorum hiſtorias improbans, ſuæ hiſtorię fidem abrogat: nec diſputationis hoc nouum genus hiſtoria approbat, quinimo per has difficultates, tanquam ſomnia ſe ſcripſiſſe confirmat, idq; de Burgundis, de Francis, de Saxonibus, de Sabaudis Principibus. Grauis iactura hæc foret, cum per has ſuas arenoſas Syrtes vagentur, fluctuent, imo ferè mergantur omnia. Grauius hoc templi Epheſię Dianæ eſſet incendio, quod non illi gloriam, aut nominis immortalitatem, ſed pœnam potius ac ſupplicium pariet. Sed de aliis ipſi viderint: ego de me profitebor, non facile paſſurum imponi mihi. Non falsò ſaltem me citet, ut pagina ſua 20. ubi enim in Auguſta Taurinorum, ſub Othone primo mentionem fecimus alicuius monetæ ea tempeſtate excuſæ? Quàm mortuis obloquetur, qui viuo, videntiq; mihi non parcat, cum nec omnino muti, nec planè ſtupidi, non dictum pro dicto aſſeueret. Sed iam colligo me. Certè multò melius Abbas ſibi conſulet ſi ſui memor, me potiore iure nixum, luxus cauſa, aut ſi facilius intelligat ἐκ περιέσιας non prouocauerit. Illud enim ius & ſua ſe ope tuetur, & vindices, aſſertoresq; robuſtiores poſtmodum nanciſcetur. Sabaudi non deerunt, nunquam tacendi Butetti, Almei, Monuaniardi, Guichardi, & inter Subalpinos Trotti, Anchiſę, Paſchales, Ferrerij, atque innumeri eius agminis athletæ. Undequaque

etiam

etiam ſummorum ingeniorum externa auxilia, Sabaudo nomini deditiſsima, in eius caput concurrent. Hoc interim eum admonitum volo, huic cauſæ refragari, aliud longè periculum adferre, quàm temeritatis, aut inſolentiæ. viderit an læſę Maieſtatis crimen. quod quidem in crimen eum non aliter quàm me incidiſſe velim, ita me Deus amet. Tu verò vt cœpiſti, me pro noſtra neceſsitudine, amare perge. Vale ex Auguſta Taurinorum, Pridie Kalend. Nouemb. 1581.

VIDIT, PROBAVITQ.
F. Dionyſius Ciſlagus Inquiſitor Gener.

70776


vndique
sursum

P AAA M
A · 3
V · 156
ex libris
Pietro Mangiaroni
architetto milanese

Mu 1, 167

PROV
B
R.
2